

necessariam ad vera fidei & doctrina confirmatio-  
nem, exempla, licet tragica, tamen non sepelienda  
aut obliuioni tradenda, omnino iuuentuti consi-  
deranda sunt. Nominant hodie eruditiores con-  
trouersiam istam sacramentariam, controuersiam  
Berengarianam. Berengarius hic Gallus fuit,  
& anno 1050. doctrinam de presentia corporali  
corporis & sanguinis Christi in cena negauit, &  
rem sacramenti non realiter, sed tantum in signo  
& figura adesse dixit, quandoquidem corpus Chri-  
sti sit eleuatum in celum, & non descendat in ce-  
nam, nec amittat suas proprietates, circumscrip-  
tionem, localitatem, & similia. Post reuocatio-  
nem autem, cum decedendum ei esset sexto Iannu-  
ary, suspirando ante agonem dicere cepit: Hodie  
apparebit mihi Dominus meus Iesus Christus, ad  
meam gloriam, & salutem, sicut spero, cum ege-  
rim penitentiam, aut ad duram meam damna-  
tionem, ut timeo, propter eos, quos mea peruersa  
doctrina deceptos non potui ad viam veritatis re-  
ducere. Hoc miserabile exemplum satis ostendit,  
quanto cum periculo ludatur fingendis opinionibus  
in hac doctrina. Hic exclamat Gerson: Hor-  
reant & caueant litterati & magni Viri, & alij,  
qui ad similitudinem demonum gaudent alios secum  
trahere ad interitum, praesertim iuuenes & pueros.  
Carlstadius autem quomodo perierit, Basilienses  
scribunt, apud quos tandem vitam finit, apparuisse  
scilicet ei concionem habenti, Virum grandem  
ingressum